Racki Ioannis: Panegyricus Serenissimo Principi Ioanni Casimiro – exhibitus.

PANEGYRICVS

SERENISSIMO PRINCIPI

IOANNI

CASIMIRO

POLONIÆ & SVECIÆ REGI

Magno Duci Lithuaniæ, Rußiæ, Prußiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Czerniechouiæq; &c. &c.

NEC NON

Suecorum, Goth: Vandalorumq; &c. &c. REGI HÆREDITARIO.

In primo aditu Maiestatis SACRO SOLENNIQ; REGALIS INAVGVRATIONIS DIE

A

M. JOANNE RACKI PHIL: DOCTORE, & in Alma Vniuersitate Cracou: Collegij Minoris Profeßore.

EXHIBITVS.

Anno Regis Regum nati. 1649. Die Ianuar. 17.

CRACOVIÆ,

In Officina Valeriani Piątkowski.

IN ARMA REGNI POLONIARVM.



Inter Reges & ſubditos hoc intereſt, quod inter vnum & omnia: Omnes Populares Principem reſpectant vnum, vnus princeps omnes populares reſpicit: ijs proinde vna ſatis eſt obedientia ad imperium illi omnigenâ virtute opus eſt ad exemplum.

Timon Philoſ. reſpondit Regi Parthorum Phraati apud Bruſon.

PANEGYRICVS.

QVÆ precati ſumus à Superis; SERENISSIME POLONIARVM & SVECIÆ REX CASIMIRE. more inſtitutoq; maiorum noſtrorum, illo die, quo auſpicatò Comitijs Regni Centuriatis, eximijs Ordinum Regni, non ſententijs ſolùm; ſed etiam ſtudijs atq; votis REX noſter renuntiatus eras; eadem precamur nunc ab ijſdem Diuis immortalibus, vt illa ſolennis Comitiorum apprecatio, Regalibus auſpicijs conſecrata, tantam in ſe habeat vim & religionem, quantam Reipublicæ poſtulat neceſſitas; & vt ea res nobis, pacem, tranquillitatem, otium & concordiam afferens exoptatam, fauſtè, feliciter, & proſperè eueniat vniuerſis. Horret adhuc animus, & vix non totis artubus atq; præcordijs contremiſcit, quoties illam plagam, quæ ex Morte Victorioſiſſimi olim VLADISLAI IV. iniecta eſt Reipub. maxima, in his priſtinæ Fortunæ reliquijs, miſeris certè atq; afflictis recolimus: neq; ſe mens, à timore ad ſpem colligere poteſt, dum illum, tàm horribilem caſum, tàm grauem, tàm luctuoſum & inſperatum, qui non modo in Regno Noſtro, cuiuſlibet ſtatus & conditionis homines afflixit; ſed & apud exteras Nationes omnium ſermone & condolentiâ percrebuit, commemoramus. Dolebamus enim, & vehemēter angebamur, cum Regem illum, cuius Nomen magnum, vltra fines Regni iſtius, cum ſtupore gentium apparuit, amiſimus: deinde cum Regem eum, & Regem amiciſſimum Reipublicæ, & Regem Patriæ Patrem, quem antea Muſis noſtris, pro perpetuis, eius in nos beneficijs, ornare ſolebamus, cum obijſſe audire-

diremus, cum sacrum Os illud Maiestatis plenum, cũ dexteram illam formidolosissimis quibusq; formidandam, cum humeros illos Deo similes, quibus, velut Atlante cælum, tota Polonia nitebatur, cum totum illud venerandum Corpus in feretro mutum & squalidum, sine sensu iacere videremus, cum orbata Sceptra, Coronam viduatam, & Mundum penè relictum cerneremus, non tam afflictam Regiam Conditionem dolebamus; quam de fortunis communibus extimescebamus. Spectabamus Curiam, intuebamur forum, Cælum etiam testabamur ipsum, quæ cum viuente VLADISLAO singula, singularibus splenderent præsidijs, subitò morte ipsius perculsa prostrataq; omnia, & quasi una Ceruice Reipub. dignitas hæreret, illo a nobis abeunte, confestim orbati & pupilli nos, tristè nescio quid ingeminantes lugebamus. Dolebat Senatus; mærebat Equester Ordo, Respublica senio ac luctu confecta erat, squalebãt municipia, afflictabãtur Coloniæ, agri deniq; ipsi, non modo in Russia prouincia; sed in Polonia, quà longè lateq; patet, vniuersa, tàm beneficum, tã salutarem, tàm mansuetum Regem desiderare videbantur. O diem illam mæstissimam & amaram valdè! o triste & inexorabile fatum! o spes inanes omnes & fallaces! Intellectum est quidem in multis, sed maximè in meipso, & paulo ante in omnibus, in illis præsertim offensionibus belli, authoritatem omnium Ordinum, Maiestatemq; Reipub. in vnius capitis vita & integritate nixam fuisse: Quocunq; oculos animosq; conuertebamus nostros, vndecunq; præsidia sperabamus, quid potuimus aliud, nisi tumultuari? nisi mærere? nisi salutem innocentibus. opem impotentibus & auxilium calamitosis desiderare? Ecce vero, Serenissime REX CASIMIRE, conspectus iste Tuus multò iucundissimus, reficit & recreat men-

at mentes noſtras, quando ſuffragio DEI immortalis, teſtimonio Senatûs, conſenſu Regni, confeſſione Nobilitatis, liberis omnium vocibus REX Præ electus es & Coronatus. Cum enim intueor vnumquemq; noſtrum, video tali tantoq; in numero neminem reperiri, cui Dignitas Tua cara non fuerit, cuius non extet in Te meritum, & qui Tibi non ſint obſtricti memoriâ beneficiorum ſempiternâ. Itaq; non extimeſcimus amplius, ne hæc rerum mutatio nobis obſit, quæ prodeſſe ſola poteſt, & debet: palam & vltro prædicabimus & dicemus in gentibus, quia Dominus regnauit apud Nos: hic DominusDominantium Interregni tempore moderno, regnauit & correxit orbem terrarum, qui non commouebitur: gaudebunt campi & omnia quæ in eis ſunt. Vnde planctum verti in gaudia, lachrymas in riſum, ferales illos & tragicos eiulatus, mirabili quâdam Cataſtrophe in plauſus & gratulationes prorumpere nõ reformidamus. Abeant iam ac recedant illæ voces, quas metus extorquebat hactenus, nihil hinc, quale antea emittimus: nihil enim, quale antea nos pati poſſe ſperamus: diſcernetur iam ſermonibus noſtris temporum diuerſitas, & ex ipſo genere Orationis intelligetur, quantùm poſt illas Cinnani Syllaniq; temporis moleſtias rebus noſtris remedium, & quanta Poloniæ pax, libertas & concordia affulſerit. Habet has equidem conditio mortalium vices, vt aduerſa ex ſecundis, & ex aduerſis ſecunda naſcantur: Occultat autem vtrorumq; ſemina Deus, & plerumq; bonorum ac malorum Cauſæ, ſub diuerſa ſpecie latent: At ſicut maris Cæliq; temperiem turbines tempeſtateſq; commendant; ita ad augendam Regni noſtri, & liberæ Reipub. gloriam, quaſi de induſtria fauente Cælo, hoſce motus præceſſiſſe credimus vniuerſi. Si enim hæc ratio diuinitus parabatur, quæ Te publicæ

 ſalutis

salutis gubernaculis admoueret, prope est vt exclamem tanti fuisse! Quocirca Serenissime REX, iam à timore ad fiduciam, à desperatione ad spem, à rebus perditis ad tranquillam Regni libertatem per Te redacti, restitue nobis illam, cui, sub felicissimis VLADISLAI IV. auspicijs insueuimus penitùs, felicitatem & non degenerem fatorum clementiam ac ferè germanam Frater & Hæres eius redde nobis. Ille quidem omnis anteactæ vitæ fructum cepit maximum, cum hodierno die, summo dolore Senatus, tum præterea planctu Tuo grauissimo & maximo, tàm in terris flebiliter tumulatur quàm in cælesti Patria illa, vbi Beati æuó perfruuntur sempiterno Apotheosi (vt speramus) decoratur. Tu verò, cui in accepto Regni Diademate, tanta gloriæ facta est accessio, sis Felix & Fortunatus, sis Florēs & Beatus, vt pote ille, cuius ex Corona, & primo aditu Maiestatis, nō minor pene ad omnes; quàm ad Te ventura sit lætitia, peruenerit cum gratulatione. Cede etiamnum affectibus nostris, & tribue propensę in Te obseruantiæ libertatem vt hæc Tuis auribus sacris audire, quæ nobis præconia recordari Tua iucundum sit. Indignam illam & seruilem legem, quâ Apelli tantùm aut Lisippo soli Principem effingere cauebatur, Tu Clementissimus REX, in Regno libertatis abrogatam, sileri permitte. Sic & Diuorum morem accepimus, non tàm ac curatis adorantium precibus, quàm innocentiâ lætari, gratioremq; æstimari istum, qui delubris illorum, castam puramq; mentem, quàm qui meditatum carmen intulisset. Ego verò, dū IAGELLONIVM Te, CASIMIRVM Te, & CASIMIRVM; IV. quasi plaudentibus fatis admiratus, Fide Sapientiaq, fretus Tuâ, debitam hanc Tibi Regni Regisq; prærogatiuam, non indebito cultu gratulabundus ostēdo, quæso obtęstorq; Maiestatem Sacram, vt aures Tuas, pau

lis per

ijs per à Regni curis auocare, nobis vero bona cum venia impertiri digneris. Feram vt potero Sereniſſime REX ſtudio & voluntate, licet elingui facultate: quod ſi magnitudine laudum victus, perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quàm non pro eo, ac pietas mihi officioſa ſemel indixit obſequium, quam lætitiam in alijs, cum fauſtis ominibus videam, eandem in tãtis omnium applauſibus non conteſtari.

Atq; vt inde Oratio mea proficiſcatur, vnde auſpicatiſſimæ huius Electionis ducitur incremẽtum, ſatis Tibi Serenniſſime REX, ad gloriæ faſtigium, cõmendationis, ſatis ad Regni huiusce Florentiſſimi gubernacula Maieſtatis, & amplitudinis ſatis, in eſſe putabant vniuerſi, ijs ortum eſſe Maioribus, qui & imperium Oceano, Famam vero præclare factorum terminarint Aſtris, & Auguſtiſſimi Auſtriaci ſãguinis Hæredes effecti, neminem in orbe Chriſtiano etiam vltrà maria, hodie reperire poſſunt Monarcham, qui Te ſui honoris participem non veneretur. Nam quid ego Sereniſſimam IAGELLONIAM ſtirpem prædicare mutus contendam? quæ omnium ferè gentium ætatumq; memoriâ celebratur, quam anteacta ſæcula deprædicant; quam ipſa æternitas intuebitur, & in cuius laudibus, dum totus Orbis deſudauit, tacito eos venerari ſilentio, quo tanta coluntur, malit, quàm magna modis tenuare paruis, præſumat? Obſtupeſcunt certè poſteri, Imperia eorum & Prouincias, non in Septemtrione tantum noſtro partas, ſed in tota etiam Chriſtianitate, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, munera, Triũphos, belli & Pacis artibus ĩſtructa Trophæa legentes & audientes veſtra: ſed ita tamen, obſtupeſcunt, vt dum in Vobis, quæ mirarentur plu

 rima

rima habuerint, etiam, quæ ex Vobis, in suum emolumentum & gloriam deriuarent, certatim Europæ gentes & Imperia postulârint. Enimuerò dum trutinarent illi, cogitarentq; quales & quantos esse oporteat, eos quorum ditione ac nutu, pax, bella, terra & maria, regerentur: formantibus fingentibusq; sibi Principes, quos Deo immortali æquata potestas deceret, in terris, rarò vel voto saltem concipere licet similem ijs, quos nobis IAGELLONICI Principes demonstrârunt. Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: illum quidem Toga, sed nõ & Arma honestârunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: alter quæsitam domi gloriam, in publico; hic in publico partam, domi perdidit: ad extremum rarus ad huc, vel nemo quorumcunq; Heroum, extitit optabilis ille, cuius domi forisq; spectatæ virtutes, nullo confinio vitiorum læderentur. At Principibus nostris, quanta concordia, quantusq; concentus omnis laudis & gloriæ, diuinitùs contigisse videtur, vel in vnico Te Serenissime REX, grandem anteacti temporis historiam, legere possunt omnes, Cuius seueritati, nihil hilaritate; grauitati nihil simplicitate, Maiestati nihil humanitate, & comitate nihil, detrahatur, vt in hac inopia virorum Fortium & innocentium simul copiosa, ij mihi Beatissimi videãtur, apud quos Tu diutissimè commoraris. Est hæc incredibilis Diuinaq; Virtus, vel potiùs virtutũ officina, quas qui Princeps habeat, non eum ego hominibus compararẽ, sed supra mortalium sortem eleuatum, simillimum Cælitibus ipsis iudicarem. Quid cæteræ? quos in maioribus Tuis commemorant omnes; quantæ virtutes & quam multæ fuerunt? non solum enim imperandi in Principe bono scientia quærenda est (nihil est imperitiùs illis, qui in imperio nil nisi de imperio co-

rio co-

rio cogitare volunt) sed multæ sunt aliæ artes eximiæ, Regni administræ Comitesq́; Principatûs. Quã multas enim imagines Vestras, imaginumq́; virtutes excellentes, non solùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandũ expressas, tàm nostri quàm exteri scriptores reliquerunt; quas cæteri, in administratione Reipub. sibi proponentes, animos & mentes suas ipsa cogitatione hominum excellentissimorum conformabant. Primus ille (ne longiùs abeamus) primus inquam ille, gloriâ, rebus gestis, Diuus VLADISLAVS IAGELLO omnium sæculorum, omnium gentium, omnis memoriæ facilè Princeps: Parens ac Deus salutis nostræ, fortunæ, memoriæ, nominis; quod in Regno hoc amplissimo ad perpetuæ posteritatis memoriam & imitationem, non reliquit exẽplar? quod non perfecit ad vnguem officium? cuius laboribus hoc firmatum imperium, virtute stabilita dignitas, consilio aucta exaggerataq́; fortuna, Cuius autoritate, sapientiâ, pietate, vis legum in senatum, grauitas iudiciorum in Curiam, Maiestas imperij in Regnum est restituta. Deus immortalis! quantũ nobis beneficium dedisse videbaris, quod in illis formidolosis temporibus, grauissimo acerbissimoq́; Reipub: casu, ex hostili adhuc Lituania nobis Regem prouidisti! quantò autem dedisses maius præterea si debacchantibus in nos Crucigerorum procellis, qui quæstu Prouinciarum pasti, cæde, cruore, trucidationeq́; hominum saginati, rerum antea secundarum insolentiâ inflati, spe & cupiditate victoriæ inflammati, ad delendum nomen Polonorum, partim ignorantiâ, partim nigligentia nostrâ incitabantur, & iam fastu ipso debellabant: si à primis bellorum initijs misisses, Obsecro Maiestatem Tuam Sacram Serenissime REX, repete temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem, ora ad inui-

 cem

cem conuersa; vultusq; hominum concursantium, animo saltem, quod oculis non licet, intuere: quid gladij illi ante aciem Grunealdensem remissi agebant? cuius latus mucro ille petebat? quæ nostra trepidatio? qui tumultus? quæ rerum Polonicarum perturbatio? cum totus Occidens moueretur; cum Prussia vniuersa atq; Masouia misere vastarentur, cum Ciuiū vulneribus Respub. cruentaretur, cū in nostras nobis Prouincias & Patrimoniū Regni transcursum, non modo negarent, sed flumine sanguinis etiam intercluderent: cum nemo, aut egrederetur, qui se non mortis seruitutisq; periculo cōmitteret; aut tam firmum præsidium domi haberet; vt tutus esset: Attulit tandem aliquando Fortuna Reipub. nostræ Diuum IAGELLONEM, qui tantis in periculis caput suum deuouit pro Patria, qui se importunissimi hostis obiecit furori, qui bellum tam turpe, tam vetus, tam late diuisum atq; dispersum quod nemo arbitrabatur aut ab omnibus Imperatoribus vno lustro, aut tot lustris ab vno Imperatore confici posse, primò debellauit, post repullulantem Hydram veluti, extirpauit ac sepeliuit. Longum esset persequi singula, sed tacentibus etiam nobis, pleni sunt omnium libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas, quam victoriosissimus iste Bellator & Sarmaticus Alcides, sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit, plura bella gessit, quam cæteri legerunt, plures Prouincias confecit, quam cæteri concupiuerunt: qui ad scientiam rei militaris & institutionem, non alienis præceptis, sed suis imperijs, non offensionibus belli; sed victorijs, non stipendijs militiæ, sed triumphis & inuictâ magnanimitate vtebatur. Itaq; difficile dictu est, utrum fortitudinem eius hostes timuerint magis; an Victi dilexerint, cum opini

one non

one non minus famæ; quàm aliâ certa ratione commoti, non ex Lituania ad nos vocatum; sed è Cælo delapsum intuebantur Regem. Iam vero virtuti IAGELLONIS, quæ potest par Oratio inueniri? nō enim illæ sunt virtutes Regis Optimi solæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in cōficiendo, consilium in prouidendo, quæ tantæ reperiebantur, in hoc vno, quantæ in cæteris, quos aut legimus, aut audiuimus, non fuerunt. Quid ergo quisquā nunc, aut dignum eius virtutibus, aut Nobis nouū, aut cuiquam inauditum poterit afferre? quando ego Homini illi, ac Posteris eius, quando nos omnes gratias referemus? quæ memoria? quæ vis ingenij? quæ magnitudo obseruantiæ, tot tantisq; eius virtutibus respondebit? Audiant hoc gentes; obstupescant exteræ nationes, atq, in hoc peruagato Orbis totius sermone Cæli ipsi virtutem hanc ipsam deprædicent; quam dicam, dicam autem liberè quod sentio: Amusus ferè & illiteratus Rex, Cathechumenus adhuc, & vix primis pietatis initiatus rudimentis, hoc specimen virtutis suæ, hoc indicium animi, hoc lumen dominatus sui maximum, ad perpetuam Regni tranquillitatem & gloriam sempiternam putauit, si in Centro Regni vel primaria Ciuitate, Domicilium hoc Sapientiæ, Templum Sanctitatis, mentis, Consilij publici, Caput vrbis, aram Spei, portum omnium hominum, sedem Musarum, ab vniuersa Repub. nostro Ordini concessam, cum Diua HEDVIGE sua erigeret, erectam dotaret, dotatam priuilegijs perpetuis ornaret, & sancte inuiolateq; foueri, teneri, ornari, æternis suis benedictionibus imperaret. Quam non frustra ergo suscepti labores; quàm non fallaces spes! nec cogitationes inanes Diue IAGELLO Tuæ. Nemo est enim tam ignarus rerum,

aut tam rudis in Repub. nemo, nemo vel tam nihil de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, sapientiæ huius integritate contineri suam, & ex vnius eius vigore sartam tectamq; libertatem pendere omnium. Quocirca hanc rem Tu Tuis maximis & innumerabilibus meritis semper & meritò antepones. cæteræ illæ omnes Duce Te gestæ, magnæ quidem sunt, sed tamen magno multoq; comitatu; Erectionis verò studij & Academiæ Cracouien. fundatæ, Tu vnus cum Diua Conforte Tua es, & Dux & Comes; quæ Tibi tantum efficiet; vt Trophæis monumentisq; Tuis, nulla vnquam finem sit ætas allatura. Age verò, an VLADISLAO Iagellonis, difficilior aditus est ad retentionem dignitatis? Degẽeres alibi animos defecisse timor arguat imbellis; hic in sanguine illo, quem pro bono hominum semel virtus effudit, summam fuisse dignitatem generis, integritatis, industriæ, Cæterorumq; ornamentorum omnium in cõfesso est; quibus fretum ad Regni gubernacula prensanda, Filium Patri Successorem aggredi par erat. Nam cum hic, Paternis præceptis, multisq; literis institutus, à prima sibi adolescentia statim suasisset, nihil esse in vita magnoperè expetendum, nisi laudem & honestatem, in ea vero persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula, mortis, & vitæ molestias omnes parui docẽdas esse, prætextatus ad huc, sed consumatus in breui, ætatem virtute præcurrit, & nouennis Rex Poloniæ Coronam apprehendit: Sexennio post, inuitatus ad Regnum Hungariæ, malum eius aureum rexit protexitq; felicissimè. Vtinam verò generosus eius animus, & supra annos adulta virtus diutius nobiscum vixisset? vtinam Amurates ille Turcarum Tyrannus, qui pro pace supplex toties illi procubuit, ardorem illum lachrymis suis extinxisset! Varna cer-

te non

tè non tàm suo nomine, quàm nostra clade nobilis facta Cannas nobis in Hungaria non exhibuisset. Quid verò CASIMIRI. III. humanitas, quâ vel ignotis inclaruit: vel clementia, quâ hostes etiam supplicabundos recreauit, commemoretur? Huic non armis solùm; sed beneficentiâ quoq; orbis Monarchas expugnasse Fata concesserant, vt cum Sachmetes Turcarum Imperator, & Carolus Daniæ Rex, ciuili suorum tumultu vexati, & vbiuis terrarum abiecti exules profugerent, asylo apud CASIMIRVM inuento, alibi humiles & expulsi, in sola Polonia se Reges esse meminissent & prædicarent. Quid IOANNIS ALBERTI pietatem enarrabo? quem cum Valachi perduelles, ex tegmine fagi fraudibus adorirentur, Cælum ipsum cum tempestatibus insperatis, sub eius signa transcriptum, pro Rege pio, contra Valachos Turcasq; militauit. Quid ALEXANDRVM vel in morte Scythicos lixas deuincentem? Quid SIGISMVNDVM I? quid AVGVSTI parem tanto Nomini famam & imperium prædicabo? non possunt illi luculentiùs, non possunt nunc prædicari omnes; quàm tunc superstites illi nominis gloriam sibi parauerunt immortalem. Neq; enim hoc dissimulandum est, quod obscurari non potest; sed præ nobis ferendum: Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisq; maximè gloria ducitur; Illi vero ex omnibus præmijs virtutis (si esset habenda ratio præmiorum) amplissimum sunt præmium gloriæ consecuti: hæc illis breuitatem vitæ posteritatis memoria consolabatur; hæc modo effecit, vt absentes adsint, mortui viuant: hæc deniq; vnica est, cuius gradibus etiam in Cælum ascẽdisse videntur. Ergò quãtum consiliò, quantùm grauitate, quantùm regendi prudentiâ SIGISMVNDVS I. Maximus Rex & sæculi sui Ornamentum valuerit, nemo ignorat: Felicem

cem te SIGISMVNDE I. deprædicat omnis ætas, ex Consorte quam Bonam accepisti: Feliciorem ex Filio quē Augustum Regem & Rex & Pater rexisti Felicissimum ex Filia Catharina, in qua, frustra alibi quæsitos Poloniæ Reges, nobis IAGELLONIDAS conseruasti. Te verò SIGISMVNDE III. Potentissime Rex, per quem nobis, quasi rediuiua generis huius prærogatiua cum pietate resplenduit, qui nobis totū hoc, quantum cunq; est, quod certè maximum est, iam ad paucos redactum, quasi ab interitu vindicasti, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? quâ beneuolentia complectemur? Equidem nō errauit, nec errabit iste quisquis in Manipulo Tuo, tot Reges; quot spicas, tot inuictos animos; quot culmos, tot viuos Regiarum virtutum splendores; quot grana assignabit: Tuus opinor ille Manipulus erat, qui consurgere in agro Domini & stare adorādus putabatur: Tu Filius accrescens Ioseph: Filius accrescens & decorus aspectu: Tu non consilijs Patrui Regis supplantatus fuisti, sed Dei voluntate huc missus & transplantatus, qui fecit Te quasi Dominū vniuersæ domus, & Principem in omni terra Septemtrionis: Tu in Patrocinium Cælestium receptus: Tibi hoc Regnum præparatum diuinitùs, vel teste Erico & Patruelibus minis poteras non immeritò gloriari. Et quoniam Serenissime Rex CASIMIRE ei succedo Orationis parti, quæ non prætereuecta sit aures nostras; sed nostra memoria facta in animis omnium penitus insidet & demoratur; quæso obtestorq; Te, vt plus voluptatis ex viua recordatione Tuorum; quàm non modo ex mea; sed excuiusquam Oratione percipias, neq; quid dicatur tantum; sed etiam; quid dici debeat, contempleris: hoc enim dignum Vobis, dignum excellentissimâ vestrâ præpræstantissimaq; gloriâ, dignum deniq; officio Regali

gali vestro videtur; vt quandoquidem summa Fortuna in Vobis cum summa virtute certârant, quoniam omnium iudicio, plus vobis, quàm homini, conueniat, tributum est, & potentia vestra, proximè ad Dei immortalis Numen accedit, adhibeatis in hoc nostro vmbratili genere sermonis sapientiam illam, quam soletis. Quæ est enim ora? quæ sedes? qui locus? in quo non extent Patris Tui uictoriosissimi Regis, túm fortitudinis, tùm humanitatis, tùm animi, tùm consilij impressa vestigia? O nomen nostri imperij! o Poloniæ excellens dignitas! o SIGISMVNDI III. sic longè lateq; diffusa laus, vt eius gloriæ domicilium, communis mundi finibus terminetur! o nationes! vrbes! populi! Reges! & Tyranni, testes SIGISMVNDI, non solum virtutis in bello; sed etiam Fidei Religionisq; in pace: Vos deniq; mutæ regiones imploro & obtestor! vos sola terrarum vltimarum: vos maria, vos portus, Insulæ, littora: quis enim locus est, quò nō illius diei fama peruenerit, quo Osmannus Orientis Tyrannus bellum, (an diluuium dicam) Bellum inquam formidolosissimum, quod & nauibus aduexerat, vt ipsi fluctus, armatis quodàm modo procellis aucti, ferale quoddam diluuium, in nos deuoluerent, & per vastissima terrarum spatia, æquè feris hominum ac belluarum lacertis, in Valachiam cis Chocimum apportârat, vt Telluri quoq; ipsi, & non solis nobis graue esse crederetur: hoc inquam bellum, ad quod properabant, Regna potentissima, renouabantur subiectæ nations, tota Asia & Africa, quasi ad eradendam nostri memoriam armabantur; derepentè Osmannus deferere coactus, victus, profligatus, abijt, excessit, euasit, erupit: & à Polona virtute vinci posse edoctus, tributario metu Europam vniuersam liberauit. In illo atrocissimo post hominum memoriam Martis theatro, cum ex

hac parte pudor pugnaret; illinc petulantia, hinc fides; illinc fraudatio, hinc pietas, illinc scelus, hinc honestas; illinc turpitudo, hinc æquitas, Temperantia, fortitudo, cum iniquitate, cum luxuria, cũ temeritate cum vitijs omnibus Machometicis confligeret, nonne etiamsi Cecoriani vulneris nondum cicatricem obduximus? etiamsi sociorum studia, & Christianitatis auxilia deficiebant? nonne Diui ipsi immortales, ab his ipsis virtutibus vestris, tot & tãta vitia superari coëgerunt? Iacet ille nũc Osmannus prostratus hostis, & se deuictum esse etiam mortuus recognoscit, & retorquet oculos liuescentes Turcarum, profectò sæpe ad hoc Regnum, quod ex faucibus suis olim ereptum, strangulatus lugebat. Ergo Nos tunc in illis Chocimensibus campis Turcis Vires deficere, nobis voluntatem deesse, ad subiugãdum Orbem terrarum ostendimus manifestè: Sine controuersia enim tum temporis debellauimus hostem, magnificèq; vicimus, & ne in posterum vlla pernicies nobis, ab illo tam potenti & audaci monstro; in Poloniam intentetur, effecimus, transegimus! Nemo iam abhinc steriles illos & desertos campos aspernetur, in quibus ê barbarorum cruore reuixit Europæ securitas: Murus abhinc Christianitatis Polonia & Clypeus Imperij Rom. celebratur, postquam vel inferni ipsius portas, non præualuisse aduersus eam Orbi innotuit: SIGISMVNDI vero Regis Potentissimi laudes & laureæ Triumphales, quæ iam in Capitolio immortalitatis æternum radicatæ, florent florebuntq; in perpetuas æternitates, hic & vbiq; locorum virescant. Ille tunc obiectu laterum suorum Orbem defendit vniuersum: Ille mucrones hostis hebetauit: Ille incensione vrbes; ille vastitate prouincias: ille interitu Poloniam liberauit, & qui vltimi solent esse exitiorum exitus, ille ex portis infernа-

ferna-

fernalibus, potiorem hanc Mundi partem, & ex faucibus Fati eripuit: ille sartam integram, & vsq; ad inuidiam Orbis florentem conseruauit Poloniam, Tuus & Patriæ PATER SIGISMVNDVS. Reliquæ verò Victoriæ eius, quæ frequētiâ iā & multitudine, pretium cum æstimatione perdiderunt, cur obsecro à nobis referrentur? Ridiculum esset omnino, ad ea quæ videmus obstupescere; vocibusq; hærere, & plura desiderare velle; & cum habeamus viuos testes bellatoresq; Filios, qui & Patris triumphos decorassent, & rebus communiter gestis, pene simul cum Patre triumphassent: qui adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationiq; in victoria fuissent, hominum ipsorum recentem memoriam tacere, literarum uerò monumenta flagitare ridiculum. Quasi uerò Patriarcha ille SIGISMVNDVS, qui frumentum Electorum Orbis fami præparabat; non id perfecerit; vt tantum ei debitum sit, vnde etiam, quod Posteris solueretur, redundaret: quasi non adsis Tu, summâ authoritate, vsu maximo & prudentiâ incredibili Rex: qui quæ Pater Tuus Fraterq; gesserunt, Tu præ cæteris particeps omnis gloriæ meritorumq; factus, omnia Regis Optimi officia, Te non opinari; sed scire, non audiuisse; sed vidisse, neq; vidisse tantum sed egisse dicas. Nescit priuatus, nescit quantum Regij valent Infantes, nomen tantum virtutis eorum vsurpat, quid ipsa valeat, ignorabit. Non ad alienas exedras, illa omnia discuntur, quibus Regna & imperia conseruantur, non ex isto literarum ludo, aut palæstris Regnandi artes accersuntur, sed cū lacte materno, statī animos & statī auspicia capessunt Reges, vbi primum ex fascijs resolutas explicant manus, statim nō vbera Parentum; sed Sceptra & Coronas Imperiorū apprehēdūt. Te verò Ser. Rex quem in cunctis viuendi rationibus exercuit Fortu-

E na,

na, cui sors campum dedit amplissimum, in quo excurrere virtus Tua cognosciq; possit, quid est quod quisquam in Regni prærogatiua, interpellare auderet? Magna laus & solius VLADISLAI fuit olim, ad liberæ Gentis Sceptra, sine æmulo accessisse. confusum ambitionis ordinem mirabatur Orbis terrarum, cum in medio positum, & votis omnium patens Regnum nemo ambiebat, cogitās decora VLADISLAI, cum perspiciebat propensionem Polonorum; intercessiones omnium & studia in Fratrem Maiorem vestra. Porro Orationem illā Tuā, quâ ElectionemFratris Primogeniti eligendus & ipse suadebas, an non prouidentiæ Dei & iustitiæ ductu tam feliciter cessisse videmus; vt eodem tenore CAROLVS FERDINANDVS Serenissimus Princeps, inflammatus Electionem Tui suaderet, quasi par pari reddere vellet? Miserum est abundare quondam Regibus in defectu Regnorum, at modo gloriosum! Fraterno primùm maduerunt sanguine muri Romanorum, at Fraterno sanguine Principum Optimorum stabilitur dignitas Poloniarum! Quocunq; Serenitatis nomine censerentur alij Competitores, id tamen Vbiq; extiterunt, vnde orbis incendium erumpebat: ast apud nos cum in vna Patria omnes omnium charitates, & se ad inuicem complexi essent, Regni Candidati, alterstatī alteri⁹ onera portare, alter alteri⁹ honori velificari, & quasi Castor cum Polluce, vel ipsam immortalitatem Vobiscum partiri contenditis, salutaria Rebuspublicis Sydera Vos Optimi Fratres! Itaq; quod vix optādum quidem hominibus erat, non dubiā fidē Serenissi. REX neq; falsā opinionē in iecisse vi deris, subditis Tuis Felicitatis illius expectandæ, quâ liberaliter hucusq; cum stupore gentium fruebantur. Concordia hæc Rerumpublicarum Nutrix & Mater est: Concordia altrix felicitatis; concordia

cordia demùm, si fractus illabatur Orbis, inuictos ac infractos sub pondere rerum efficiens, quæ tandem non portendit nobis omina? quæ non præsagit auspicia?

Est mihi tanti Serenissime Rex CASIMIRE subire laudum Tuarum Materiam, vt Te quem modo præsentem intuemur, cuius mentem sensusq; & os cernimus, qui nobis totum hoc, quidquid eâ Interregni tempestate Fortuna reliquum fecit, saluum esse velis: non modò Cæterorum Regum exæquare ornamentis; sed etiam præferre possim. Neq; enim, si VLADISLAVM amisimus, in quem Diui atq; homines omnia decora congesserunt, idcirco iam animis concidere debemus: Quantum nomen eius fuerit & dexteritas, quanta in omni genere bellorum fama & victoriæ, quanti honores; tanti sunt Tui, eruntq; tantò ille Prædecessores suos vicerat gloriæ omnes, quantò Tu omnibus præstitisti. Itaq; attoniti quodāmodo tātisper & ad Fortunā eius obstupescētes, bella, victorias, Triumphos, res tam in Sago quàm in Toga gestas numerabamus hactenus, Tuas vero exhinc admirari incipimus. Videmus victoriam Tuam, in Ciuili hac rebellium secessione factam, gladium vagina vacuū in orbe nō videmus. Vidimus Volhyniam Podoliam Pocuciam, totamq; adeo Russiam Roxolanorum, Russiam inquam, Cellam penarium Poloniæ & Horreum opulentissimum Regni; vidimus inflammari, exscindi, funestari: neq; id fieri ab hoste iusto & externo (quanquam id esset miserum ac dolendum) sed ab excursore, à transfuga, à Spartaco; qui velut Armiger Catilinæ, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percussor; lapidator, speculator intentus occasionum, qui vitam omnium, bona, fortunas, coniuges, liberos, atq; hoc clarissimum Septemtrionis domicilium

 fortu-

fortunatissimam pulcherrimamq; Rempub. hanc, vel inuertere vel infirmare cogitabat. Dura nobis (proh Diuûm hominumq; fidem!) dura inquam Poloniæ videbatur Fortuna & crudelis, quæ tot menses illum nobis insultare videret & pateretur: Polluerat sanctissimus religiones, Senatus grauissima decreta perfregerat, Ordinum consensum, ne saluam Rempub. vellent, disturbârat, omnem sexum conditionesq; vexarat, alios patriâ expulerat, aliorum bona diripuerat, Magistratus omnes abrogarat, iustitium indixerat, nec tám de libertate sua; quàm potius de nostra seruitute cogitârat: Capere eius amentiam Rusia, Cæteræq; Prouinciæ, atq; adeo Regnũ totum non poterat: incidebantur iam fortè leges, quæ nostris nos seruis addicerent: Nos autem viri fortes! in tàm acerbo Reipub. Casu, satisfacere Reipub. videbamur, si ipsius furorem ac tela vitaremus! O tempora o mores! quid miserius enim? quid luctuosius? qnid funestius potuimus videre? Sed magna Deo habenda est gratia atq; Diuis Indigetibus, Custodibus & Patronis Regni huius, quod tám tetram, tám terribilem, tàmq; infestam Reipub. pestem incolumes effugimus: Magna Tibi Serenissime Rex, qui liberis parentes, qui parentibus liberos, qui fratribus fratres qui literas, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui Rempub. saluam, qui nosmetipsos nobis ipsis deddidisti. Quod si Parentes charissimos debemus habere, quod ab ijs nobis vita, patrimonium, libertas tradita est; Si Deum immortalẽ, cuius beneficio & hæc tenuimus, & Cæteris rebus aucti sumus; immensum quiddam & infinitum est; quod Tibi, debeamus; cuius singulari victoria & protectione; Parentum beneficia, Diuorum Patronorum munera, & Senatûs populiq; Poloni honores, postliminio reuocantur, vt cum magna maioribus

Tuis

Tuis; innumerabilia Parentibus, omnia Deo immortali debeamus, quod hæc singula per ipsos habuerimus, nunc verò malignitate fortunæ erepta & recepta per Te recuperauerimus vniuersa. Quare quod vix credibile erit, immortalem gloriam & honorem Tu nunc adeptus esse videris, dum Te iam Felicem, Victorem, felices & victores ipsi appellamus. Quod enim tempus erit vnquam? quo huius beneficij Tui memoria & fama moriatur? qui illo ipso tempore, cum Vi, cum ferro, cum metu, cum minis crudelibus cincti teneremur (talibus enim rumoribus patebat ad Orientem via, nec mitiores vlli subsequebantur) Tu non multò post REX primò renunciatus, non modo nos ista calamitate; sed etiam formidine calamitatis liberasti. Ergo non iam ad latera nostra sica illa rebellium vibrabitur non in foro; non in templis, non deniq; inter domesticos parietes pertimescemus: quos verò amisimus ciues, illos Nemesis quædam & Martis vis perculerat; non victoria Tua. Atq; hoc vincendi genus Tuum, & hæc Patriæ occasio liberandæ: hæc sine ferro, sine cæde; sine iactura Ciuium, dum Mars Optimũ queq; in acie sibi pignorari solet, salutaris iste Tuus procedendi modus, vt victoriam ipsam vicisse videreris: Tibi Serenissime Rex meritò atq; optimo iure, auspicijs Regalibus suffragantibus debitus esse videtur: Quis enĩ est Te, aut generis claritate? aut prudẽtiâ regnandi? aut partium optimarum studio? aut vllo genere laudis prestantior? Prætero hic victorias Tuas, quas Marte palã domi forisq; plurimas cõparasti: Sileo bella laboresq; Herculeos pro salute quondam Reipub: exantlatos: Non commemorabo vigilias militares, quas Tu & Ductor & miles non abnuisti: vt quid enim antiqua hæc, ex annalium memória reuocentur? cum præsentia ista magis delectent,

 & qui-

& quibus Regnum meritò debeatur? Sciet posteritas virtutes & Merita Tua; cùm milites ipsi admiratione simul & veneratione laborum Tuorū, Tecum arma; Tecum inediam, Tecum ferrent sitim: Habebas vbi ostenderes illam præclaram patientiam Tuam; cùm in illa meditatione campestri, militaribus turmis sudorē, puluerem q; Regium misceres: cùm libero Marte nunc cominus tela vibrares, nunc vibrata susciperes, alacris virtute militum & lætus; quoties aut cassidi, aut galeæ Tuæ grauior ictus incideret: Laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisq; vt auderent, & audebant iam, cum Ductor Tu Spectatorq; certaminum, arma ipse componeres, tela ipse tentares, ac ne quid durius accipienti videretur, ipse iaculareris. Hac mihi admiratione dignus quicunq; Dux non videretur, si inter Fabricios vel Sciciones, si inter Lælios vel Catones, si inter Attilios, vel Camillos tam egregius reperiretur, vel si tertius è cælo descenderet Cato: Tunc enim illum imitationis ardor: tunc Heroica illa virtus, & semper cum melioribus crescens æmulatio accendisset; Postquā verò tempestate hac, cùm iniuriâ temporum; tùm ignauiâ nostrâ, celeberrimum illud studium armorum, à manibus ad oculos & ad voluptatem à labore translatum est: postquam exercitationibus bellicis, non veteranorum aliquis, cui decus, Muralis aut Ciuica Corona comparauit; sed è media disciplina pueritiæ, comptuli quidam atq; delicatuli; Tyrones inexperti, ex agro iam, vel ex iure manu conserti, non mage ferro rem repetunt; quàm magnum & admirandum erit Serenissime Rex; Te Patrio more, Patria virtute lætari & à primis vnguiculis iam exercitatum fuisse; vt sicut modo regere Regnum constitutus es; ita olim dignum Te præstare, qui Rex Regum militumq; Polonorum decerneretis. Hæc Tibi tunc incū-

incunabula fuerunt meritorum, hæc pueritiæ blandimenta, hæc exercitia iuuentutis, cum militiæ domiq; & in bellicioſiſſimis Nationibus quibuſq;, vbicunq; Martis ſchola & domicilium putabatur, diuerſa genera & hoſtium & bellorum luſtraſſes, vt nulla res modo in vſu militari poſita reperiatur, quæ Tuam bellandi ſcientiam incredibilem fugere poſſit. Teſtis erit Pruſſia, in qua Tu prætextatus admodum adoleſcens, ſub auſpicijs, ductu & oculis Paternis, contra domus Tuæ hæreditarios hoſtes, prima rudimẽta, in Caſtris ad Mariæburgum poſuiſti: Teſtis Moſchouia in qua Tu contra Sehinum Ducem & Fædifragos hoſtes profectus, ad extrema ferè redactos Smolenſcenſes, Tuæ legionis potiſſimùm ſubſidio in ſpem erexiſti; obſeſſoribuſq; ipſis obſeſſis & ad pedes Regios humiliatis, Fraternæ victoriæ maxima pars & Gloriæ Triumphiq; particeps fuiſti: Teſtis Valachia, in qua Tu, contra infenſiſſimos Chriſtiano Nomini Turcas, cum Triumphali Fratre perrexeras; ſed Murtazzi-Baſsâ ad ſaniora pacis conſilia reuerſo, veſtriſq; ad Boryſthenẽ nuper Laureis perterrito, ſolâ maieſtate armorum oſtentatâ, propè eos viciſti; cùm ſic Turcas expuliſti: Teſtis Germania, quæ à Te auxilium abſente expetiuit: Teſtis Hiſpania admiratrix Virtutis Tuæ & donatrix Regnorum: Teſtes verò iam omnes oræ atq; externæ Nationes: Teſtes; quas Tu ita luſtraſti; vt illuſtrares, & ita vidiſti vt ad Nominis Tui memoriam & prædicationem vno ore Chriſtianitatis totius laudem & admirationẽ meruiſſe videare.

Sit ergo clarus ille CASIMIRVS I. cuius ope & conſilio religionem didicit Polonia, periculoſaſq; de Regni ſtatu controuerſias conſopiuit: Ornetur alter eximiâ laude CASIMIRVS IVSTVS, qui malo Principi ad fluctuantis iam Reipub. gubernacula ſuffectus,

fectus, onera grauia & paupertatem ab indigenis amouit, domesticos motus placidè composuit & Russiam Prussiamq; Prouincias, ne tumultuari in posterum contra Rempub. præsumerent, iustissimè sanctissimèq; perpacauit: Sit in æterna gloria CASIMIRVS MAGNVS, cuius res gestæ atq; Virtutes, ijsdem quibus cursus solis regionibus terminantur, & cuius temporibus in Poloniam Pax cum Musis, gloria cum diuitijs immigrauit, & opulentia Ciuium Poloniæ ad inuidiam Ducum, Regum & Cæsarum effulserat. Anteponatur his omnibus Tuus ille Tuæq; Prosapiæ Propagator CASIMIRVS III, qui vt numerosa sobole Felix; ita belli pacisq; artibus prudentissimus, diù recusatum tandem suscepit imperium, vt illud seruaret. Erit erit profecto inter, vel vltra horum, laudes, locus Tuæ gloriæ, erit præconijs excellentia, & maiestati prærogatiua erit. Te olim Religiosum & Pacificatorem Casimirum, Te Iustum & victorem, Te magnum & exteris inuidendum prædicabunt æternùm historiæ: Te non Casimirũ Andreã & virilẽ; sed ανδρα πολύτροπον ὃς μαλὰ πολλα πλαγχθή, πολλων δ' ανθρώπων ιδεν αστεα καὶ νοον ἔγνω Musę nostrę velut Vlyssem celebrabunt. Peragrasti enim gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, & quidem ita peragrasti, vt nunc deniq; incipiant credere, quod olim incredibile quiddam, & falso proditũ videbatur; Te tãtâ mãsuetudine, tantâ humanitate fuisse, tãta ĩnocẽtia ut Iagellonicæ virtutis cõpendium? Tua verò Te, Tua vbiq; seruauit Fortuna, Tua pietas & Fortitudo, Tua protexit, Tua bonitas quæ & olim Parentes Tuos in Suecia ex vi præsẽtis fati eripuit semper Stabas. Tu in magna Cõstãtia, ac Regali Matris Tuæ magnanimitate Princeps, aduersus eos, qui Te angustiauerunt, non expectabas nec supplicabas ijs, vt in peregrinum essent mitiores,

qui

qui erga suos naturam exuerunt, Vindici Deo impostorum illam imposturam, retribuendam cōmittebas. Miserum? eheu miserrimum Regnum! in quo tantum insolentiæ contra innocentiam, temeritati contra securitatem, simulationi contra candorem, iniquitati contra iustitiam licebat! Equidem ad primam ineluctabilis illius Tragicomædiæ famam, vt vniuersus plane orbis Catholicus, dolore pariter ac fremitu inhorrescens, publicam eo nomine querelam & indignationem iactabat; Ita & Fas, & Æquū, & Religio, & Sanguis, & Ius Gentium & ipsa societatis humanæ necessitudo, nescio an non vim passa Cælum Orbēq; hactenus appellent: certe noster hic Sarmaticus Orbis innocens adhuc & quæ superûm clementia est, nondum istâ noua tuendi statûs Cacopolitiâ imbutus, crudele ridens scandalum, continere se nequibat, quin publicá legatione, licet videret transcendi politicos fines, integritatem Tuam, ab hac ipsa labe & desertoribus vrbanitatis requireret. Sed apud quem hæc dico! nempe apud eum Te, qui cum hoc scires, nihil esse tàm commune hominibus, quam spiritum viuis, terram mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis; quæ omnia publici iuris per naturam facta, nullis vnquam aduenis suis, barbaria negabat, tamen Regali animo arbitratus verè Regium esse iustitiâ & beneficētiâ magis quám gladio homines superare: Vnicum illud satis proferre habuisti (Tuis enim mihi verbis vtendum est) CHRISTIANI EST PERFERRE INIVRIAS, AN AVTEM CHRISTIANISSIMORVM SIT EAS INNOCENTIBVS IRROGARE, DEI ET ORBIS IVDICITM ESTO; dixisti. O clementiam admirabilem Serenissime REX Tuam! ô infractam magnanimitatem! ô Christianissimam pietatem; atq; omni laude prædicatione, literis, monumentisq; condecorandam! Quantum poterunt literæ contendent

vt hoc totus Orbis exaudiat: hæc non modo mirabilis est, sed prodigij similis Scientia Sanctorum, cuius qui Tibi nefarius extitit author, prius ille suam amisit humanitatem; vt inueniret Tuam. Sed motos præstat componere fluctus: Admurmuratio iam Orbis Catholici facit Serenissime Rex, vt agnoscere videatur, qui hæc fecerint: Ego autem nemině nominabo, vt irasci mihi nemo iustè possit, nisi qui de se prius voluerit confiteri. Tibi hoc Regium est, IOANNIS est, IOANNIS inquam Aui Tui Sueciæ Regis & Patris SIGISMVNDI hoc est: Dum namq; his Ericus Auus insidiatur, confestim apparitione mirabili ministratorij Spiritûs Cælestis Angeli perterritus, & ab inceptis machinationibus desistere iussus erat; alioquin Regno ipse deturbari, & vt Nabuchodonosor olim infra bestias proiectus, brutis insipientibus comparari debebat, vt IOANNES ille cum Patre Tuo SIGISMVNDO hæreditatem caperent salutis. Iamne igitur vides Serenissime Rex, iam ne sentis, quæ sint ornamenta dignitatis Tuæ? quæ vt in STEPHANO olim fortissimo Rege, ex maiore flamma, ad Coronam prorumpentia Omina Felicitatis? Nemo queritur hinc quereturue, aut Tuam imminutam dignitatem: aut suam posthabitam libertatem: aut extorta suffragia sua; nemo se sua spe defunctum affirmabit: nemo eligendo errasse sua vota damnabit, & fauores suos exprobrabit nemo: Video enim oculos atq; ora omnium in Te vnicum esse cõuersa: video quod oculi Tui; supercilia, frons, vultus deniq; totus, qui sermo quidam tacitus mentis est: video adhuc, quod ætatis Tuæ virilis planè & indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Dei, ad augendam Maiestatẽ ornata Cæsaries, vt Te lõgè lateq; potentem, castum, sanctum, Diuis simillimum Principem ominantur. Quidni verò talem esse oportuit? quem electio Po-

iona,

lona, quem præcedentes Interregni motus, & quem exorata terris Numina dedissent? Et cur obsecro IAGELLONIVM TE, CASIMIRVM TE, & TE CASIMIRVM Quartum (o Diui immortales auscultamini quæso & benedicite hoc Nomen) Quartum inquam CASIMIRVM salutamus? Permitte adhuc hoc loco Clementissime Rex (sicut Poetæ solent, qui ex Nomine ominantur) Tetragrammaton istud seu Tetragonum Nomen ex antiquæ Philosophiæ depromi arcanis: Si enim perfectum virum, teretem in se atq; rotundũ esse debere, definientes veteres Sapientiæ Magistri; quadratum tamen eum, immobilem, inexterminabilemq; decreuerunt: si quatuor terminis omnem soliditatis consistentiam cõcluserunt: si quatuor Corporibus Architectatrix Natura, totum vniuersi sublunaris molem constituit: si Pythagoræi tantum Quaternario tribuerunt: vt sacrum istud & iurandum Nomen in Iuramenti rota collocarent; quæ me hercule arguet antiquitas, si Te Cælo & Fatis decretum, Te votis publicis concupitum, & ab æterno ratum ad solium Regni iure aspirasse, & VLADISLAO IV. Quartum CASIMIRVM succedere debere affirmarim? Pridem Tu in Regnatrice hac Regione regnare merebaris; sed nesciissemus, quantum Tibi deberet Polonia, si ante Electus fuisses! Aduenit istud, quod destinabatur tempus in quo manifestè liqueret, non tàm accepisse Te beneficium, quam dedisse. Corrupta est disciplina castrorum; vt tu corrector existeres: inductum pessimum exemplum, vt melius opponeretur: cõfugit in sinum Tuum Resp: vt Atlanteis viribus Fratris sustentatã & iã mole sua grauẽ, tu nõ dispari omine Rex velut Hercules eam sustineres. Et sanè, cùm hæc Tua tot tãta decora recordabere, etsi persæpè felicitati Polonæ, tamen plerumq; virtuti Tuæ cõgratuleris, necesse est: Omnes

enim, qui istius temporis armis, fato sumus nescio quo, misero certè & funesto perfuncti: etsi aliq culpâ tenemur erroris humani, iam tandem tantâs crorum profanorumq; ruina, tandem sumus expiati. Non fuit recusãdum in tantis tumultibus tantoq; animorum ardore & armorum, quin turbata Respub. quicunq; euentus fuisset, multa perderet & ornamẽta dignitatis & præsidia stabilitatis suæ: nunc autem DEVS immortalis, etsi pœnas à nobis ob aliquod delictum expetiuerat, vel placatus iam, vel etiam satiatus, omnem spem salutis & remedium totum, ad sapientiam Tuam contulisse videtur.

Quæ cùm ita sint; gaude Serenissime Rex, Tuo isto tanto tamq; excellenti bono, & fruere, cùm Fortunâ & Gloriâ, tùm etiam Naturâ & Moribus Tuis. Maiestatem Tuam Regniq; Poloniarum, quæ à Carpato Tanaim vltra & Borysthenẽ & Bosphorum, intra Guttali & Volgæ alueos, ad vsq; Venedicum sinũ, quasi ocellus Septemtrionis resplenduit, contemplatus, pretioso Diademati eius Regale submitte caput: Quot Coronæ radios; tot Prouincias Regni, quot Pinnas, tot Ducatus in ea reperies, in quibus Tu vt in podere vestis, Orbis terrarum olim portabatur, amplissimam Reipub. dignitatem, vniuersa omnium Ordinum studia & prærogatiuas, in verbo virtutis Tuæ sustentabis. Circumspice paulisper, totã hãc quæ ad ingressum Tuum foribus reclusis, quasi Deum quendam salutabat, innumerabilem turbam, & ex vultu gratulantium singulorum, coniecturam facias, quantum illa lætitiæ ex Honore Tuo cepisse videatur: vide has Equitum Polonorum legiones: florem totiùs Nobilitatis aduerte: hæc ornamenta pacis, hæc belli subsidia, hæc lumina & firmamenta totius Reipublicæ considera: quantum Tibi voluntate, studio, & suffragijs, cum summa testificatione

suæ

suæ in Te propensionis, gratulentur, recognosce. Equidem cum Academiæ Matris meæ inclytæ Regum Polonorum Filiæ, vota & desideria considero; cum Iuuentutis Polonæ plausus & gratulationes; cum omnium hominum Ordinumq; alacritatem perspicio; parietes ipsos huius Curiæ, in Tuos applausus gestire crediderim; quod breui tempore, futura sit illa authoritas, in his Maiorum Tuorum & Tuis sedibus cõfirmata. Ingredere ergo iam Benedicte Domini: sis in Nationes, & Reges populorum oriantur ex Te: iam occupa Thronum: iam apprehende Sceptra & Regnum, potestatemq; cælestium aut translatam, nunc ad Te; aut certe cõmunicatã Tecum; in die hac Diui Felicis auspicata, Felix & Beatus capesse. Sis Fortunatior Augustis, sis melior Optimis Heroibus, sis Potentissimus, Inuictissimus, Gloriosissimus. At Vos ô Diui Præsides & Patroni, Indigetes Poloniarum; quorum ope & consilio magis Regnũ hoc; quàm ratione hominum gubernatur: Vos Diue ADALBERTE, STANISLAE, HYACINTE, Diue Patriarcha noster CANTI, & Diue IAGELLONIDES CASIMIRE oramus, vt firmatis rebus Nostris Vestrisq; muneribus addentes perpetuitatem, hodiernũ diẽ, Regno Sacrum, solẽnẽq; ad Vestri Honoris gloriã Poloniarũq; felicitatẽ, illuxisse patiamini; vt Sereniss:

CASIMIRVS QVARTVS
Dominus Dominus Noster Clementissimus &
Rex Noster, prosperâ, æquabili, perpetuâq;
Fortunâ, secũdo vitę, sine vllis offẽsionibus,
cursu perfruẽs abunde, cum huius Noui Anni Auspicijs simul Felix, Faustum
Fortunatumq; Regni sui Exordium ordiatur

DIXI.

ARMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Impẽsis ex Fundatione perpetua Generosi D. D. Bartholomæi Nowodworski, Equitis Melitensis, Ord: S. Ioannis Bapt: Hierosolimitani, Sacræ R. M. Aulici & Rotmagistri Commedatoris Posnanień: excussi.